





1733, 3 13

~~1738.~~

552.

DE  
**PACTO FIDUCIAE**  
EXERCITATIO II.

---

QVAM  
PRAESIDE

**D. FRANCISCO CAROLO CONRADI**  
IN ACADEMIA IVLIA PROF. PVBL. IVR.  
ORDIN.

*IN IVLEO MAIORI*

A. D. XXXI. AVGVSTI MDCCXXXIII.  
AD DISPVTANDVM PVBLICE PROPONET

**FRIDERICVS NICOLAVS WEBER**

GARDELEG. PALAEOARCH.

---

*HELMSTADII,*  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.



P. A. C. T. O. F. I. D. E. N. T. I. F. I. C. A. T. I. O. N. E. S.  
IN THE  
COURT OF COMMONS  
IN THE  
MATTER OF  
THE  
PETITION OF  
THE  
LORDS OF THE  
TREASURY  
FOR  
AN  
ORDER  
THAT  
THE  
SHERIFF OF  
MIDDLESEX  
DO  
CAUSE  
THE  
SHERIFF OF  
MIDDLESEX  
TO  
PAY  
THE  
SUM  
OF  
£. 1000.  
TO  
THE  
SHERIFF OF  
MIDDLESEX  
FOR  
THE  
USE  
OF  
THE  
CROWN.



CONSPECTVS  
EXERCITATIONIS II.  
**DE PACTO FIDV CIAE**  
IN QVA FORMVLA ET IVDICIVM FIDV CIAE  
EXPLICANTVR ET VESTIGIA EIVS IN  
PANDECTIS ET CODICE RELIQVA  
ILLVSTRANTVR.

---

*Distincta Formule pacti & iudicii Fiduciae, §. I.*

*Pacti Fiduciae propria verba, §. II.*

*Arbitrii Fiduciae propria Formula, §. III.*

*Fiduciae iudicium bonae fidei & famosum, §. IV.*

*ACTIO FIDV CIAE ex Lege XII. Tabularum deducitur, §. V. quomodo ea potuerit ex pacto esse? & quae eius Formula? §. VI.*

*Actionis huius natura. Erat alia directa, alia ~~contraria~~ §. VII.*

*Actio Fiduciae directa ad quid data? §. VIII.*

*Dubia contra omnis culpa & periculi praestationem obiecta, §. IX. Quae diluuntur, §. X.*

*Etiam damnum culpa lata aut levi datum non ultro restituens, possessor fiduciarius, infamia notatus, §. XI.*

*Actio Fiduciae dabatur etiam heredibus & adversus heredes, §. XII. cessabat, pignore iuste vendito, §. XIII. nec Fiduciae iudicio tenebatur, qui liberum hominem noxae deditum manumiserat, §. XIV.*

*Transitio ad disquisitionem, quo tempore & auctore sublatum sit pactum Fiduciae? §. XV.*

Ne-

*Necessitas pignoris fiduciarii minor post Actionem Hypothecariam introductam, §. XVI.*

*Fiducia non abrogata Lege CONSTANTINI M. §. XVII. sed simul cum solempni mancipatione, a IVSTINIANO sublata, in usu esse desit, §. XVIII.*

*Vestigia Fiduciae in PANDECTIS, in L. 5. §. 2. commodat. §. XIX. in L. 9. §. 2. & L. 35. §. 1. de pigner. act. §. XX. in L. 11. de pignor. & hypoth. §. XXI.*

*Quaestio tractatur de servitutibus urbanorum praediorum, utrum oppignorari, aut hypothecae dari nequeant, & ob quam causam? & CVIACII, DVARENI, MERRILLII diversae sententiae recensentur, §. XXI. DVARENI sententia pluribus argumentis a GALVANO firmata & ab obiectionibus vindicata, §. XXIII.*

*Vestigium Fiduciae & emblemata TRIBONIANI in L. 16. §. ult. D. de pign. & hypoth. negatur, §. XXIV.*

*Vestigia Fiduciae in L. 23. §. 1. D. eod. tit. §. XXV. in L. 12. pr. D. de distract. pignor. §. XXVI. in L. 9. D. de supell. leg. §. XXVII. in L. 45. D. de Reg. iur. §. XXVIII.*

*Fiduciae vestigia quaedam in CODICE IVSTIN. in L. 9. de pigner. act. L. 2. si vendit. pign. agat. §. XXIX.*

*Fiduciae mentio in Legibus Langobardorum, §. XXX.*

*Nomen Fiduciae pignus nudum apud Langobardos & Francos notavit, §. XXXI. Conventiones, Fiduciae Romanorum similes, ab illa non repetende, §. XXXII.*





DE  
PACTO FIDUCIAE  
EXERCITATIO II.

§. I.

**I**Am vero sanctitatem pacti Fiducia porro spectabi-  
mus in solenni eius formula, quam in Exercita-  
tione priorē a) inter emancipationis ritus talem re-  
tulimus, qualis a CAR. SIGONIO b) aliisque  
referri solet. Nunc tamen accuratius constituemus  
propria & solennia Fiducia contrahendae verba, lucu-  
lentissimo CICERONIS indicio, c) quod, uti IAC.  
RAEVARVVS d) bene animadvertit, discernere iu-  
bet

*Distincta  
Formula  
pacti &  
iudicii  
Fiducia.*

a) §. V.

b) *De Iudiciis Lib. I. cap. 5. §. II.*

c) *De Officiis Lib. III. c. 17. Nam quanti verba illa: VTI NE  
PROPTER TE FIDEMVE TVAM CAPTVS FRAVDA-  
TVSVE SIEM! quam illa aurea: VT INTER BONOS  
BENE AGIER OPORTET, ET SINE FRAVDATIONE!  
Manifeste CICERO has verborum solennes conceptiones  
distinguit: priorem vero esse formulam conventionis, nemo  
dubitabit: posteriorem esse iudicii formulam, probabitur  
ad §. III.*

d) *De Auctorit. Prudent. cap. 5.*

bet ipsam pacti formulam ab altera formula, in quam iudicium sive potius arbitrium Fiduciae dabatur.

## §. II.

Pacti Fi-  
duciae  
propria  
verba.

In concipiendo igitur Fiduciae pacto solennia verba erant haec: VTI NE PROPTER TE, FIDEMVE TVAM CAPTVS FRAVDATVSVE SIEM. *Quanti verba illa!* inquit CICERO. Breviter huius formulæ potestatem expressit laudatus modo RAEVARDVS: *Ea postulat esse, ut interposita seruetur fides remanicipationis, ne dolus, qui in hoc iudicium venit, ipso iure vindicetur.* Sed potissima verborum vis ad fidem singularem & exuberantem, a mancipatore in amico rem fiduciarum accipiente requisitam, spectat. Hæc enim est fides illa, qua *vitam contineri* CICERO alibi dixit, a) intelligens istas vitæ necessitates, quæ fiduciarum mancipationis usum suaserunt, præsertim in depositi & pignoris contractibus. Hæc est *bona fides*, quæ, secundum illud TRYPHONINI, b) exigit, *ut commissam rem recipiat is, qui dedit.* Nec sine causa in Fiduciae pacto Romani hæc duo coniungi voluerunt: CAPTVS FRAVDATVSVE SIEM: quæ verba alias quoque iunguntur, velut in Actionis de peculio formula: ET SI QUID DOLO MALO DOMINI CAPTVS FRAVDATVSQVE ACTOR EST. c) Verbum enim, *capi*, proprie ad negotii vere gesti mendacem dissimulationem & cavillationem, *fraudari* vero ad damnum, quod inficiatione rei sub Fiduciae mancipatione infertur, pertinet. *Fraudis enim conditio ea est, opinor, si quis alienum rapiat, aut alii debitum denegat,* uti TERTVLLIANVS ait, d) & secundum illud

PRV<sup>a</sup>

a) Pro Q. Roscio Comædo, c. 6.

b) L. 37. §. 1. D. depositi.

c) L. 37. §. 1. D. de pecul. L. 1. §. 42. D. de pos.

d) De Idololatria, c. 1.



## EXERCITATIO II.

3

PRUDENTII, *Fidei fraus est inficiatrix.* a) Hinc TVLLIVS *fraudatorum atque inficiatorum impudentiam* coniungit, b) idemque in istis negotiis fidem sanctiorem & exuberantem desiderantibus *fraudationis* verbo semper utitur: c) & sic Iurisconsulti veteres pariter in tutela, societate, deposito circumventionem factam *fraudis* appellatione designant: d) quoniam in his præsertim regnat bona fides, *contraria fraudi & dolo.* e) Itaque integra mancipationis fiduciarie formula talis fuisse videtur: EGO HANC REM MEAM TIBI MANCVPO, VT EAM MIHI REMANCVPE, VTI NE PROPTER TE FIDEMVE TVAM CAPTVS FRAVDATVSVE SIEM.

## §. III.

In illa vero Formula, qua iudicium sive arbitrium *Arbitrii* Fiduciarie dabat Prator, solennia conceptaque verba *Fiduciarie propria formula.* erant: VT INTER BONOS BENE AGIER OPOR-  
TET ET SINE FRAVDATIONE: f) quæ, tanquam *formula.* aurea, prædicat, ac Fiduciarie iudicio illa diserte adscribit CICERO, pluribus locis. g) Atque hæc ipsa verba

A 2

ba

a) *Psychomach. v. 632.*b) *In oratione pro Flacco c. 20.*c) *Pro Cæcin. c. 3. Pro Q. Rosc. c. 6.*d) *L. 32. D. deposit. L. 60. §. ult. D. mandati. L. 3. §. ult. D. pro socio, L. 2. D. de suspect. tutor.*e) *PAVLVS in L. 3. §. ult. D. pro socio.*f) Hæc verba fuisse propria ac peculiaria arbitrii Fiduciarie, notavit etiam B. BRISSONIVS, *de Formulæ Lib. V. p. 352. edit. nov.*g) *Topiconum c. 17. In omnibus igitur iis IVDICIIS, inquit, in quibus EX FIDE BONA est additum: ubi vero etiam: VT INTER BONOS BENE AGI OPOR-  
TET. Et Epistolar. ad famil. Lib. VII. epist. 12. ubi in C. Trebatium Testam iocatur, quod in Epicuri castra transisset: Vbi porro illa erit formula Fiduciarie: VT INTER BONOS BENE AGIER OPOR-*

OPOR-

ba ex formula pacti Fiducia petita sunt, pariterque dolum malum abesse, & si reus per Fiducia rationem actorem fraudasse probetur, fidem fractam vindicare iubent. Equidem, qui sint boni, & quid sit bene agier, magna questio dicitur apud TULLIUM: a) novimus tamen elegantem & vitæ civili recte convenientem boni viri definitionem ab eodem propositam: *virum bonum esse, qui profit, quibus possit, noceat nemini, nisi lacessitus iniuria*: b) *quique ita se gerit, ita vivit, ut eius probetur fides, integritas, æqualitas, liberalitas*. c) Et quamvis, virum bonum aliquem esse, innumerabilibus officiis & laudibus contineatur, in hoc tamen Fiducia iudicio boni viri nomen requirit præsertim fidem, etiam cum clam & impune posset, fallere nesciam, hominemque, ut in vetusto proverbio est, *dignum, quicum in tenebris mices*. Nec enim vulgarem fidem in alterius persona sperat & sequitur, qui dominium rei suæ in alterum transferre non dubitat sub pacto de  
ea

---

OPORTET. Item de Officiis Lib. III. c. 15. Reliquorum autem IUDICIORVM hæc verba maxime excellent: in arbitrio Rei Vxorix: MELIUS AEQUIVS: in Fiducia: VT INTER BONOS BENE AGIER.

a) De Offic. Lib. III. cap. 17.

b) Eodem libro c. 19.

c) In Lælio, c. 5. HORATIVVS Epist. I. 16. v. 40. f.

VIR BONVS est quis ?

*Qui consulta Patrum, qui leges iuraque servat:*

*Quo multæ magnæque secantur Iudice causæ,*

*Quo Responsore, & quo causæ teste tenentur.*

Et sic in iure nostro Boni Viri nomine quilibet iustus, æquus, innocens, & prudens consideratusque paterfamilias intelligitur, ut plurimis exemplis ostendit BRISSONIVS de Verb. Signif. v. Bonus. Add. CVIACIVS ad Africanum Tractatu VI. ab init. Tales vero quia iudicii præficiantur, & Iudicem viri boni & innocentis officio fungi oportet, ut VLPIANVS ait in L. 4. §. 1. D. Fam. ercisc. hinc est, quod iudices  
tan-

ea recipienda, & quomodo PVFENDORFIVS a) Fiduciae rationem secundum Ius Gentium explicat, cum alias, in quem dominium rei alicuius translatum fuit, de ea pro lubitu disponere, adeoque eandem sibi in perpetuum retinere, vel in quemcunque transferre queat, adiecto istoc pacto tantam de eius pudore ac fide fiduciam concipimus, fore, ut idem dominio suo non aliter, atque conventum fuit, utatur, eoque libenter iterum cedere nobis velit. Propter hanc fidem in altero positam spectatamque merito summum nefas Romanis habebatur, alterum captum fraudatumve esse, cumque se putaret invenisse fidum rei suae custodem, eum incidisse in perfidum praedonem, hominem nequam & improbum furem, qui neget rem fidei suae commissam, inficietur legem restituendi, contendat se perpetuo ac irrevocabili dominii iure ab altero mancipatam sibi rem tenere. Quapropter in Fiduciae iudicio reus, ut inter bonos bene agere oportet & sine fraudatione, remancipare rem sibi sub Fiduciae lege mancipatam iubebatur.

## §. IV.

Erat hinc Fiduciae iudicium bonae fidei & famosum. Ita enim Q. SCAEVOLA Pont. Max. *Fiduciae iudicium bonae fidei & famosum.* *fidei bonae nomen existimabat manare latissime, idque versari in tutelis, societatibus, FIDUCIIS, mandatis, rebus emptis, venditis, conductis, locatis: quibus vitae societas continetur:* b) ac propterea hoc iudicium ad ea arbitria referebatur, in quibus adderetur: EX FIDE BONAE: cuius arbitrii vim & effectum mox in Actione Fiduciae

A 3

tanquam proprio nomine boni viri appellentur. Ita VENULEIVS in L. 137. §. 2. D. de verb. oblig. Et magis est, ut totam eam rem ad iudicem, id est, VIRVM BONVM remittamus.

a) De Iure Nat. & Gent. Lib. V. cap. 10. §. 8.

b) CICERO de Offic. Lib. III. cap. 17.

ducia videbimus. Imo vero, quoniam in hoc iudicio communi isti bonae fidei Actionum formulae addebatur: VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET: erat illud bonae fidei iudicium per excellentiam, & quia de fide fracta a) agebatur, si quis eo esset damnatus, infamia notabatur. Ita CICERO: b) *Si qua enim sunt privata iudicia summae existimationis, & poene dicam capitis, tria haec sunt, FIDUCIAE, Tutela, Societatis: aequae enim perfidiosum & nefarium est, fidem frangere, quae continet vitam, & pupillum fraudare, qui in tutelam pervenit, & socium fallere, qui se in negotio coniunxit. Neque dubitandum est, in Edicto Praetoris de his qui notantur infamia c) extitisse: QUI PRO SOCIO, TUTELAE, MANDATI, DEPOSITI, FIDUCIAE, SVO NOMINE, NON CONTRARIO IUDICIO, DAMNATUS ERIT: ubi FIDUCIAE mentionem TRIBONIANI manus expunxit.*

S. V.

- a) Iudicia DE FIDE MALA, tutela, mandati, pro socio, FIDUCIAE, appellat CICERO de Nat. Deor. Lib. III. c. 30.
- b) Pro Q. Rosc. Comedo c. 6. Et in Orat. pro Cecina c. 3. *Qui per tutelam, aut societatem, aut rem mandatam, aut FIDUCIAE rationem fraudavit quempiam, in eo, quo delictum maius est, eo poena est tardior. Est enim TURPE IUDICIUM, & FACTO quidem TURPE. Quamvis FREHERVS de infamia Lib. III. cap. 1. §. 12. solum depositi iudicium his locis intelligendum putet. Recte vero censet Vir eruditissimus IOACH. POTGIESER de indole & natura pignoris. Sect. II. cap. 1. §. 4. Cum Fiducia in genere considerata per excellentiam esset bonae fidei, non video, quare iudicium fiduciae, quatenus pro pignore eiusmodi sumitur, haud aequae famosum fuerit, quam tutela, aut societatis, aut depositi. Cui non obest, quod pignoratitia actio famosa non dicatur; quia hoc intelligendum est de illa pignoris specie, quae a fiduciario pignore multum discrepat.*
- c) L. 1. D. de his qui not. infam.

## §. V.

Vt vero Fiduciæ iudicium plenius exponamus, <sup>ACTIO FI-</sup>  
 Actionis, qua iudicium hoc intentaretur, originem, na- <sup>DUCIÆ ex</sup>  
 turam atque formulam investigabimus. Vbi quidem <sup>Legē XII.</sup>  
 nihil morabimur erroneam eorum opinionem, qui Fi- <sup>Tabula-</sup>  
 duciam nihil aliud, quam ipsam hypothecam esse per- <sup>rum de-</sup>  
 suasi, Actionem Fiduciæ non aliam, quam *hypothecari-* <sup>duciur.</sup>  
*am Actionem* fuisse, a) sicut error ab errore gignitur,  
 existimarunt. Satis enim superque ostensum est Exer-  
 citatione priore, Fiduciam neque pignus, nec hypo-  
 hecam, sed mancipationum in variis negotiis civilibus  
 solennium fuisse accessoriam de remanipando con-  
 ventionem. Enimvero non in contractibus tantum,  
 illis præsertim, a quibus præsidium vitæ humanæ pen-  
 det, & qui sunt quoad originem iuris Gentium, fidem  
 sanxerant Romani veteres: b) sed in Legibus XII. Ta-  
 bularum quoque Decemviri Tabula VI. scripserant:  
 QVVM NEXVM FACIET MANCIPIVMQVE,  
 VTI LINGVA NVNCVPASSIT, ITA IVS ESTO:  
 SI INFUCIAS IERIT, DVPLIONE DAMNA-  
 TOR: c) quæ Lex non a Græcis petita, nec ab Her-  
 modoro dictata, aut a Decemviris Legum scribenda-  
 rum

- a) Quam opinionem post SALMASIVM in primis tueri voluit  
 IO GE. GRAEVIUS in præfat. in Tomum II. *Thef. Anti-*  
*quit. Rom.* ubi SIGONIVM reprehendens scribit: ACTIO  
 FIDUCIÆ veteribus ICti dicebatur, quæ posteris est A-  
 CTIO HYPOTHECARIA. Et paulo post: Est igitur ACTIO  
 FIDUCIÆ, quæ debitor repetit hypothecam, aut pignus a  
 creditore pecunia soluta, quæ ab Imperatore ACTIO QVA-  
 SI SERVIANA dicitur, quod ad instar SERVIANÆ esse  
 instituta, de qua multis in locis ICti in *Pandectas*. Quam  
 rectius Vir doctissimus, sed non iuris, & reprehensionem  
 SIGONII & Actionis hypothecariæ descriptionem omisisset!
- b) GELLIUS *Noct. Att. Lib. XX. cap. 1.*
- c) Vid. IAC. GOTHOFREDVS in *probation. ad Leges XII. Tabu-*  
*larum, ad Tab. VI.*

rum inventa, sed ex æquissimis illis Servii Tullii legibus adscita & in XII. Tabulas translata videtur. Ea lege iubebatur pactum, in mancipatione dictum, omnino ratum sanctumque esse, ac inficiatorem dupli poena coerceri. Quamvis enim, CICERONE auctore, a) sciamus, verba illa: VTI LINGVA NVNCVPASSIT, de legibus emptionum venditionum & de qualitatibus rerum a venditore dictis, nominatis promissive, intellecta fuisse: ipse tamen CICERO & FESTVS b) legem istam in genere de dictis promissive in mancipationibus explicarunt: luculentissime vero CAIVS, optimus Legum Decenvirialium interpres, *Libro III. ad Legem XII. Tabularum* commentatus erat his verbis: IN MANCIPATIONIBVS (pro quo verbo TRIBONIANVS substituit *traditionibus*, ut IAC. GOTHOFREDVS docet) c) RERVVM QVONCVNVE PACTVM SIT, id valere manifestum est. Ex hac igitur Lege pactum Fiduciae mancipationibus adiectum, usu & necessitate ob rationes, quas inspicimus, civiles ita exigente, Actione munitum agnovērunt Prudentes, ac proinde formulam Fiduciae & Actionem singularem dixerunt, quemadmodum & aliis in rebus Legem istam interpretatione sua protulerunt. d)

## §. VI.

*Actio Fiduciae quomodo esse poterit ex pacto? eiusque Formula.*

Hæc origo actionis Fiduciae, neque amplius querendum nobis videtur, quomodo ex pacto poterit Actio esse? Agebatur enim ex pacto venditioni rerum mancipi per æs & libram i. e. mancipationi adiecto: idemque a Iurisconsultis merito prolatum ad Fiduciam addi-

a) *De Offic. lib. III. c. 16.*

b) *v. Nuncupata.*

c) *In Notis ad Tab. VI.*

d) *Vid. Exercit. I. §. 7. not a) ubi, familia mancipationem occasione huius legis a Prudentibus inventam, diximus.*

## EXERCITATIO II.

9

additam cessione in iure, quæ in rebus nec mancipi adhibebatur, tanquam communis rerum mancipi & nec mancipi alienandi modus. Et quidem sicuti pactum Fiduciæ continebat promissionem de remancipanda, aut retro cedenda re alteri mancipata, sive in iure cessa: ita Actione ex hoc pacto principaliter atque directo agebatur ad remancipandam, aut retro cedendam rem illam. Quapropter Actionis formula, quantum coniiere datur, fuisse videtur talis: AIO, TE MIHI FVNDVM, QVI EST IN AGRO, QVI SABI NVS VOCATVR, QVEM TIBI MANCVPAVI, (vel, IN IVRE CESSI APVD PRAETOREM) REMANCVPARE (RESTITVERE) OPORTERE, VT INTER BONOS BENE AGIER OPORTET ET SINE FRAVDATIONE. a)

## §. VII.

Actio Fiduciæ semper veniebat ex pacto de remancipanda restituendave re, alteri mancipata: constat hinc, Actionis illius propriam intentionem fuisse, ut remanciparet sive retro in iure cederet reus actori rem, qua de ageretur. Non enim, finita & cessante causa mancipationis, ipso iure resolvebatur dominium atque revertebatur res ad priorem dominum: id quod non tantum auctoritate PAVLI ostendimus, b) sed confirmat hoc etiam generalis Iuris antiqui regula, secundum quam *nihil tam naturale est, quam eo genere*

*Actiois  
huius na-  
tura. Erat  
alia dire-  
cta, alia  
contraria.*

B quid-

a) SIGONIVS *de Iudiciis Lib. I. cap. 21.* Actionis Fiduciæ formulam ita concepit: AIO TE MIHI DOMVM ILLAM, QVAM TIBI MANCIPAVI, VT MIHI REMANCIPIARES, VT INTER BONOS BENE AGI OPORTET, SINE FRAVDE REMANCIPIARE OPORTERE.

b) PAVLVS *Lib. II. Sent. Tit. 13. §. 3. Vid. Exercit. I. §. 17.*

quidque dissolvere, quo colligatum est: a) ideoque in solenni Fiducia formula ita conceptum fuit pactum: *Ego tibi rem meam mancipio, VT MIHI EAM REMANCVRES*. Continebat vero hæc Actio sim l præstationes ex negotio bonæ fidei, cui fiduciaria mancipatio accesserat, provenientes: unde factum est, ut præter DIRECTAM ACTIONEM, qua mancipator principaliter agebat ad remancipandum, esset quoque CONTRARIA FIDUCIAE ACTIO, b) qua emptor fiduciaris repeteret impensas, quas in commodum mancipatoris, rei vel conservandæ vel augendæ causa, fecisset. Ita enim disertè PAVLVS: *Si creditor rem fiduciariam fecerit meliorem, ob ea recuperanda, quæ impendit, iudicio fiduciæ debitorem habebit obnoxium.* c)

## §. VIII.

Directa igitur Actio Fiduciæ non solum agebatur ad remancipandum, sed etiam ad præstandum omnino id, quod ex bono & æquo, pro natura negotii sive contractus, cui fiduciaria mancipatio accesserat, deberetur. Hinc etiam, si creditor distraxisset rem Fiduciæ datam,

- a) *L. 35. § 153. D. de Reg. Iur.* Itaque exemplum Fiduciæ addendum est illis variarum rerum contrahendarum distrahendarumque ritibus *ἀντισημοφούς*, quos illustrat RAD. FORNERIVS *Res. quotidian. Lib. I. c. 9.*
- b) Duplicem Actionem Fiduciæ, directam & contrariam, observavit iam & descripsit CVIACIVS ad PAVLI *Sent. Lib. II. Tit. 13. §. 7.*
- c) PAVLVS *l. c.* Dubitandi rationem, quæ inde oritur, quia creditor fiduciæ dominus esset & mancipio haberet, removerunt IAC. GOTHOFREDVS ad *l. un. C. Tb. de commissor. resc. p. 253.* & SCHVLTINGIVS add. l. PAVLI. Nimirum quia creditor non esset rei fiduciæ dominus incommutabilis, & occasione bonæ fidei contractus impensæ factæ essent in debitoris commodum, ratio bonæ fidei exegit, eum inde obligari.



datam, de hyperocha, a) sive de superfluo debitor agebat adversus creditorem, sicuti residui petitio illi supererat, si creditor minoris vendidisset. b) Verum potissima disceptatio est, quomodo fructus rei fiduciariae, quomodo damna dolo, culpave data in Fiduciariae iudicium venerint, & quae singulorum fuerit habita ratio? Ac de fructibus quidem & accessionibus pignoris fiduciarii diximus Exercit. I. §. XIX. unde constare poterit, nisi pactum de lucrandis fructibus aut accessionibus intervenisset, in Fiduciariae iudicio una cum re fuisse restituenda eius commoda & augmenta, propter resolutam dominii causam. Nec de dolo erit, quod addamus, ex quo, suo nomine condemnatum, infamiam secutam esse, nullam habet dubitationem. c) Plus vero difficultatis est in definienda culpa & periculi praestatione, quam in primis utilem fuisse rem suam sub Fiduciariae pacto mancipantibus, atque mancipationum harum tam frequentem in variis contractibus usum attulisse, nuper observavimus. d)

## §. IX.

Quid enim? omnem culpam, omne rei periculum praestitisse depositarium, creditorem, conductorem, quomodo cum aequitatis & iuris ratione consistere potest? Itane vero amico debuit officium suum esse adeo molestum, & damnosa rei depositae custodia? Quam periculosa illa cautio & securitas creditoris in pignore, quo, sive culpa, sive casu, pereunte, simul credita pecuniae iacturam ille faceret? Quam dura conductoris alienae rei periculum sustinentis conditio? An vero fides

*Dubia  
contra om-  
nis cul-  
pa & pe-  
riculi  
praestati-  
nem obic-  
ta.*

B 2

des

- a) Ut vocat TRYPHONINVS in l. 20. D. qui pot. in pign. de quo verbo ex Pandectis Florentinis restituito, cum antea legeretur pro eo *hypotheca*, vid. CVIACIVS *Observat. Lib. IV. c. 25.*
- b) PAVLVS *Sent. Lib. II. Tit. 13. §. 1.* Vid. ibi CVIACIVS.
- c) Vid. supra §. IV.
- d) *Exercitatione I. §. XI.*

des illa singularis & exuberans iniquitatis tantæ potuit esse causâ? Et quomodo tam periculosa conventio non potuit homines abstertere a fiduciariis illis mancipationibus, quas tamen apud Romanos diximus fuisse frequentissimas? Anne rectius statueretur, auctore M O D E S T I N O : a) *In Fiduciæ iudicio dolum & culpam, i. e. levem tantum, deduci, adeoque mediam solum diligentiam præstari: quia utriusque contrahentis utilitas intervenit: quam idem Iurisconsultus rationem subiicit, neque dubitare licet, eum culpæ nomine tantum intelligere culpam levem, quia eadem verba simul & coniunctim dicit de Fiduciæ iudicio & de rei uxoriæ actione, in qua de levis tantum culpæ præstatione actum esse, satis constat?* b)

## §. X.

*Quæ di-  
luuntur.*

At enimvero statim liquebit, nihil adversari æquitati, atque cum ratione iuris antiqui optime convenire, si dicamus, ubi possessor fiduciarius rem ultro restitisset per remancipationem, aut in iure cessionem, ab eo damnum in re factum non ultra culpam ex contractu, qui mancipationem causam dederat, præstari solitam, faciendum fuisse: c) quodsi vero iudicio Fiduciæ ad restitutionem rei fiduciariæ compellendus fuerit, eum omnis culpæ nomine condemnatum esse: si res ipsa interiisset casu, eam periisse domino, scilicet ei, in cuius dominium venerat per fiduciarium mancipationem. Neque enim dominium illud per mancipationem eius-  
modi

- a) *Collat. LL. Mosaicæ & Roman. Tit. X. §. 2. Sed vid. infra §. XIX.*  
 b) *L. 17. D. de iur. dot. L. 18. §. 1. & L. 66. pr. D. Solut. matrim. dos quem. per. Vid. GE. BEYERII Diss. de dote a plebe mutuante direpta Liciniae restituenda, cap. 2. §. 33. NOODT Comment. ad Pand. vii. Solut. matrim. p. 527.*  
 c) *Quia per remancipationem, aut in iure cessionem restitutum iam dominium atque priori domino, qui sub Fiduciâ alienaverat, restitutum erat. Vid. Exercit. I. §. 18.*

modi translatum fuisse tantum imaginarium, apparet ex illius effectibus, Exercitatione prima recensitis. a) Iam vero id nemini durum nimis aut iniquum videbitur: si ex conventionem speciali res deposita solet esse periculo eius, apud quem deponitur; b) si alias pactum inter contrahentes, ut amissio pignorum liberet debitorem, facit, ut creditor pignora, quæ fortuito casu interierint, præstare compellatur; c) si pacto, quo fundum quis ita locavit, ut etiam si quid vi maiori accidisset, hoc ei præstaretur, standum est; d) si periculum, ab artifice receptum, eius est; e) si ad conductorem operis etiam periculum vis maioris pertinet ex pacto: f) eaque pacta neque iniqua, nec, quasi contra iuris formam facta, irrita dici possunt, suntque eadem, ut Iurisconsulti observarunt, usu frequentissima: g) nemini, inquam, id iniquum, aut iuris rationi adversum videri poterit, eum, qui per mancipationem, transferendi dominii iure Quiritium proprium in rebus mancipi modum, in se derivari dominium passus esset, rei suæ periculum sustinuisse, h) atque adeo, si creditor esset, non recepisse pecuniam credidam, si conductor, summam, qua rem sibi mancipatam aut opus redemisset,

B 3

fol-

- a) §. XVII. & XIX. *Add. STRAVCH. de Oppignor. rer. Imp. c. 2. §. 1. GVDNLING. de iure oppignor. territor. §. 67.*  
 b) *L. 1. §. 35. D. de positi.*  
 c) *L. 6. C. de pignor. act.*  
 d) *L. 9. §. 2. D. locat.*  
 e) *L. 13. §. 5. D. eod.*  
 f) *L. 36. D. eod. Vid. V. C. EV. OTTO Diss. de Prælat. cas. solit. insolit. & insolentiss. c. 2. §. 5. seq.*  
 g) *L. 1. §. 35. D. de pos. L. 23. D. de Reg. Iur.*  
 h) Qui enim securitatis aut commodi sui causa voluit esse dominus, non potuit nolle periculum, quod est domini. Conferantur, quæ GVDNLINGIVS pro æquitate Iuris Saxonici periculum omne in creditorem pignoratitium conferentis, contra imaginariam Doctorum iniquitatem, disputavit in *sched. de iure oppignor. territor. §. 83.*

solvere condemnatum esse, si depositarius, eum pro re deposita pretium restituisse, qui propterea ex pacto adici solito fructus rei lucratus esse videtur, eiusque proprio damno periisse rem depositi causa ipsi mancipatam, si eam accepisset forte ab amico in militiam, aut per periculosa loca ituro, hac lege, ut, cum is rediret, ei rem remaniparet, non revertente amico, perpetuo iure sibi retineret.

## §. XI.

*Etiā  
damnum  
culpa lata  
aut levi  
datumul-  
tro non  
restituens  
possessor  
fiduciari-  
us infam-  
ia nota-  
tus,*

Vt omnis culpa praestanda esset a possessore fiduciario, rem ultro non restituyente, singularis fides & sanctitas Fiduciae posebat, simul vero hoc ita ferebat ipsa vis domini veri utriusque & perfecti in fiduciarium illum emptorem translata. Quod si enim res fiduciata, casu & vi maiore perditā, ipsi perit tanquam domino suo: non potuit non ei qualiscunque, etiam quae a providentissimo ac diligentissimo patrefamilias caveri potuisset, culpa damno esse, qua scilicet deterior facta esset res in fiduciarium mancipationem deducta. Meruit enim in hoc damnum ex duplici ratione: quod secundum fidem conventionis illico rem non restituerit ab amico compellatus, & quod per remanipationem aut in iure cessionem non statim resolverit atque a se removerit periculosam domini causam. Imo vero sanctissima pacti fides effecit, ut fiduciarius possessor, qui damnum culpa lata vel levi datum ultro non reparasset, etiam in minimis rebus, tanquam litigator temerarius infamia notaretur. a) Non minus enim turpis culpa esse poterat in Fiducia, quam in mandati iudicio, cum utrobique duas res sanctissimas, ut CICERO ait, b) amicitiam violaret & fidem: nam neque

- a) Quod CUIACIUS observavit in not. ad §. 2. Inst. de pen. temere litigantium.  
b) Orat. pro Sex. Roscio. c. 39. & c. 40. Ad cuius fidem quis confugiet, cum per eius fidem leditur, cui se commiserit?

que vel mandat vel res suas committit quisque fere, nisi amico, nec credit, nisi ei, quem fidelem putat. Quippe in privatis rebus, si quis rem non modo malitiosus gessisset, sui questus aut commodi causa, verum etiam negligentius, cum maiores summum admisisse dedecus aestimabant: quare in minimis privatisque rebus etiam negligentia in crimen, iudicii que infamiam revocabatur.

## §. XII.

Actio Fiduciæ ex pacto de restituendo dabatur etiam heredibus debitoris, & adversus creditoris heredes. *Actio Fiduciæ datur etiam heredibus*  
 Quod enim PAULVS a) dixit: *Heredibus debitoris adversus creditorem, qui pignora vel fiducias distraxit, nulla actio datur, nisi a testatore inchoata ad eos transmissa sit*: id de actione, qua ageretur tanquam ex pignore vendito v. c. ad hyperocham, intelligendum esse, C. VIACIVS b) & SCHVLTINGIVS c) docuerunt. Hæc enim actio requirebat, ut is, a quo transmitteretur, eam adquisierit, ratam habendo venditionem, quod debitor fecisse videbatur, si pretii nomine cum creditore experiretur: ante ratihabitionem vero actio non fuit, ergo nec potuit transmitti in heredem, nec post mortem debitoris nasci ex hereditate approbatione. d) In heredes creditoris Actionem Fiduciæ disertis verbis statuit PAULVS: e) *Si creditor rem fiduciæ datam uni ex heredibus vel extraneo legaverit, adversus omnes heredes Actio Fiduciæ competit.* Ad quem locum C. VIACIVS

- a) *Sent. Lib. II. Tit. 17. §. 12. quem locum ex Consultatione veteris Iurisconsulti incerti, quæ in SCHVLTINGII Iurisprud. Ante-Iustin. extat p. 81. restituit C. VIACIVS.*  
 b) *Observat. Lib. VII c. 26.*  
 c) *Ad PAULI Sent. d. 1. not. 32. p. 296.*  
 d) *Propter regulam iuris: Ab herede actionem non incipere, quæ non competierit testatori: de qua vid. IAC. GOTHOFREDVS ad l. 8. C. Theod. de div. Rescr.*  
 e) *Sent. Lib. II. Tit. 13. §. 6.*

IA CIVIS notavit, hanc Actionem, ut pigneratitiam, a) in heredes dari, cum sit ex contractu. Et quoniam hoc nihil dubii habet, PAVLVS id solum explicandum censuit, Actione Fiduciae de re uni ex heredibus praelegata, vel etiam extraneo legata, oblatis nummis restituenda, non tantum eum, cui praelegata est fiducia, sed omnes creditoris heredes teneri: siquidem nec ille, quatenus praelegatum accepit, sed quatenus heres factus est, nec extraneus, qui nudus est legatarius, sed heredes, & inter eos quoque coheres, cui est praelegatum, conveniuntur.

## §. XIII.

*Actio Fiduciae cessabat, pignore iuste vendito.*

Quod speciatim ad pignoris Fiduciam porro atinet, Actio Fiduciae debitori non comperebat, b) si pignus esset a creditore iuste venditum. Iusta vero venditio, nisi vulgare pactum c) de vendendo palam interpositum fuisset, tunc demum erat, si creditor debitori ante ter denunciaverat, ut solveret, & ab hoc erat cessatum, idque obtinebat perinde, siue nihil de distractione convenisset, siue convenisset inter creditorem & debitorem, ne distraheretur pignus fiduciatum. Vtroque enim casu denunciationem requirit PAVLVS, de illo scribens: d) *Creditor, si simpliciter sibi pignus depositum distrahere velit, ter ante denunciare debitori suo debet, ut pignus luat, ne a se distrahatur: de altero casu sic definiens: e) Si inter creditorem & debitorem convenerit, ut fiduciam sibi vendere non liceat, non solvete debitore, creditor denunciare ei solemniter potest, & distrahere: nec enim ex tali conventionem fiduciae*

- a) L. 10. C. de pign. act. CUIACIVS ad PAVLI Sent. l. c.  
 b) Nimirum Actio Fiduciae de restituenda re fiduciata: sed competeat debitori tantum Actio pigneratitia ad hyperocham, l. 6. §. 1. & l. 7. D. de pign. act. l. 1. & 4. C. cod.  
 c) Vti dicitur in l. 4. C. de pign. act.  
 d) Sent. Lib. II. Tit. 5. §. 1.  
 e) Sent. Lib. II. Tit. 13. §. 5.

*cia actio nasci potest.* Priore loco *pignoris depositi*, quod a *Fiducia* distinxit alias, a) tantum mentionem facit *PAVLVS*: ut proinde vera videri possit *IAC. GOTHOFREDI* b) sententia, in *Fiducia* nullam denunciationem necessariam fuisse, quia creditor dominus rei per mancipationem factus iure suo distractionem posset peragere. Sed merito tamen *SCHVLTINGIVS* *V. C.* monuit, c) nimis durum hoc esse, cum creditor quidem fuerit dominus, sed revocabili iure, ac iustam & hic rationem adfuisse debitorem admonendi, adeoque *pignus* & *Fiduciam* parís videri conditionis. Neque vero obstat, quod *PAVLVS*, ubi de *Fiducia* loquitur, tantum eo casu denunciationem exigit, cum pactum placuerit de non vendendo. Nam nec *VLPIANVS* d) in altera specie, si de *pignoris* nudi alienatione nihil convenerit, trina denunciationis meminit, quam tamen omnino necessariam esse, tradit *PAVLVS*. Morem hunc plane fuisse *Iurisconsultis*, ut, prateritis iis, quæ minus haberent dubitationis, extricarent potissimum has species, de quibus magis posset ambigi, *V. C. GER. NOODT* e) observavit, & nos tale exemplum ex ipso *PAVLO* in §. præcedente vidimus. Et trina quidem denunciatione opus fuisse, non solum ex *VLPIANI* & *PAVLI* locis, qui de nudo *pignore* tractant, colligendum est, sed etiam in isto *PAVLI* posterius adducto loco talem numero denun-

C

cia-

- 
- a) In rubrica *Tit. 4. Sent. Lib. II. de commodato & deposito pignore, Fiduciave*: ad quam vid. *SCHVLTINGIVS*.  
 b) In *Commentar. ad L. un. C. Theod. de Commissor. rescind. p.*  
 254.  
 c) Ad *PAVLI Sent. Lib. II. Tit. 5. §. 1.*  
 d) *L. 4. D. de pign. act. Conf. NOODT Comment. ad tit. D. de pignorib. & hypoth. p. 442*  
 e) *Probabil. Iur. civ. Lib. I. cap. 5.*

ciationem requiri, cognoscimus ex ipsius Interprete, qui verba, *denunciare solenniter*, explicat: *post trinam conventionem*, i. e. *admonitionem*, quo nomine in altero loco a) usus est. Vnde coniectura subnata est laudatissimo SCHVLTINGIO, forte scriptum olim fuisse: *solenniter*, i. e. *solenniter ter*, eique de hoc ingeniosissimo, forte & verissimo invento applaudit NOODTIVS. b) Frustra vero & sine auctore GVIL. RANCHINVS c) contendit, semper trina denunciatione opus esse, quotiescunque denuntiatio requiritur: falsum quoque est, quod Viro insigni PETRO FABRO d) in mentem venit, denunciations has esse quasi actus legitimos, & hinc neque per alium fieri posse, neque recipere tempus vel conditionem.

## §. XIV.

*Nec Fiducia iudicio renebatur, qui liberum hominem noxae deditum manusi-ferat.*

Quid vero est, quod pariatior Legum Mosaicarum & Romanarum ex PAPINIANI libro II. Definitionum refert: e) *Per hominem liberum noxae deditum si tantum adquisitum sit, quantum damnum dedit, manumittere cogendum esse a Praetore, qui noxae deditum accipit, sed Fiducia iudicio non teneri?* Crucem fixit hoc fragmentum Viro sagacissimo PETR. PITHOEO, f) qui ad aliena dilapsus, subtilioribus coniecturis, quibus hunc locum explicare praeter rem tentavit, sese tandem extricare non potuit. Nihil vero aliud significatum fuit a PAPINIANO, quam, liberum hominem noxae datum, si per eum tantum acquisitum esset, quantum damni

- 
- a) *Lib. II. Sent. Tit. 5. §. 1.*  
 b) *Comment. ad D. l. c.*  
 c) *Variar. lect. Lib. III. cap. 14.*  
 d) *Semestr. Lib. II. cap. ult.*  
 e) *Tit. II. §. 3.*  
 f) *In not. ad Collat. LL. Mos. & Rom. l. c.*



damni dederat, quoniam actor id iam consecutus, quod in condemnatione fuerat, manumittendum fuisse, cogente Praetore eum, qui deditum acceperat, quamvis nulla interposita esset, ut in emancipatione, Fiducia, ac proinde is ad remanicipandum Fiduciae iudicio non esset obligatus. Neque enim per manumissionem iniuria fiebat ei, qui hominem dedendo abiecerat, nec usum hic Fiduciae pactum habere, ut in emancipatione, poterat, cum eiusmodi manumissor liberi hominis ius patroni non consequeretur: quia liber homo manumissus non fiebat libertinae conditionis, sed ingenuitatem recuperabat a) haud secus, ac filius a parente venundatus. Et acute conicit V. C. SCHVLTINGVS, b) filium a patre noxae creditum & manumissum recidisse iterum in patriam potestatem, non item ceteros liberos, praeter filium, qui, auctoribus CAIO c) & VLPIANO, d) una mancipatione manumissioneque sui iuris fiebant.

## §. XV.

Atque haec sunt, quae in tanta huius argumenti, *Transitio* Viris Doctis tam varie intellecti, obscuritate ex paucis *ad dis-*quisitio-  
nimis veterum testimoniis & fragmentis eruere licuit *nem de*  
ad genuinam Fiduciae naturam explicandam. Dabimus *tempore*  
nunc operam, ut praecipuis quibusdam IVRIS IVSTI- *& aucto-*  
NIANI locis ex his, quae de Fiducia disputavimus, lux *re sublati*  
adfundatur. Quod ut recte atque ordine agamus, vi- *pacti Fi-*  
dendum prius erit de tempore & auctore, quo pactum *ducia.*  
hoc

C 2

- a) QVINTILIANVS *Inst. Orat. Lib. V. c. 10. Lib. VI. c. 3. & Declam. CCCXI. CVIACIVS Observation. Lib. XIII. c. 9. SALMASIVS de modo usur. c. 17. § 18. Conf. Amplif. HEINECCIVS Antiquit. Iur. ad Tit. Inst. de Nox. Act. §. 3.*  
b) *Ad Collat. LL. Mos. & Rom. l. c. not. 12.*  
c) *Inst. Lib. I. Tit. VI. §. 3.*  
d) *Fragm. Tit. X. §. 1. Vid. Exercit. I. §. IV.*

hoc olim celeberrimum ab usu & consuetudine sublatum fuerit: unde factum, ut Fiduciae nomen in omni Iustiniana Iuris Romani digestione nullo loco compareat.

## §. XVI.

*Neceffitas  
pignoris  
fiduciarium  
minor post  
Actionem  
Hypothecariam  
introducendam.*

Equidem postquam de pignore quoque Actio in rem Iure honorario prodita erat, minor fuit necessitas, per mancipationem aut cessionem fiduciarium dominium in creditorem transferendi, ut pignus vindicare posset a quocunque possessore. Neque dubitandum est, cum semel hypothecarum utilitas placuisset, rariorem inde factum esse fiduciarium pignoris usum, a) utpote plurimum habentem incommodi: dum non erat semper, nec ubique copia quinque civium Romanorum puberum, qui tanquam testes idonei, una cum libripende, requirebantur, ut mancipatio fieri posset: b) difficilior vero in iure cessio, quæ ius & Praetorem desiderabat: c) accedit, quod mancipatio tantum in rebus mancipi & inter cives Romanos Latinosque colonarios & Latinos Iunianos obtineret, non etiam in rebus nec mancipi, neque inter peregrinos, nisi quibus commercium datum esset. d)

## §. XVII.

*Fiducia  
non abrogata  
Lege  
CONSTANTINI M.*

Nec tamen ante IVSTINIANI tempora solennitas Fiduciae omnino ex usu recessit, quod SALMASIO

- 
- a) SCHVLTING. ad PAVLI *Sent. Lib. II. Tit. 13. §. 1.* NOODT *Observation. Lib. II. c. 8.*  
 b) CAIVS *Inst. Lib. I. Tit. 6.* apud BOETHIVM *Lib. III. Commentar. in Topic. CICERONIS, VLPPIANVS Fragm. Tit. XIX. §. 3.*  
 c) CAIVS *Inst. Lib. II. Tit. 1.* apud BOETHIVM *l. c. VLPPIANVS l. c. §. 9.*  
 d) VLPPIANVS *ibid. §. 4. sequ.*

SIO a) aliisque viris doctis visum, aut sublata est Constituzione CONSTANTINI de lege commissoria rescindenda, b) ut CVIACIVS c) praesertim creditit suaque auctoritate alios induxit, legem commissoriam omni pignori fiduciario semper coniunctam fuisse, atque adeo Fiduciam pignoris una cum lege commissoria pignorum a CONSTANTINO abolitam putans, cui IAC. GOTHOFREDVS d) & ANTON. SCHVLTINGIVS e) satisfecerunt. Fiduciam enim, sive pignus fiduciarium a lege commissoria plurimum differre, neque hanc illi naturaliter inesse, vidimus supra: f) ergo CONSTANTINI lex ad Fiduciam trahi non potest: quid? quod Fiducia, etiam in pignoribus contracta, nullum odium, nulla captio, nulla tanta asperitas fuit, g) quae causae legis commissoriae in pignoribus sublatae ab Imperatore indicantur. Praeterea vero post CONSTANTINVM M. in Constitutione ARCADII & HONORII h) Fiducia pignorum exercit verbis confirmatur, & scriptores post illam aetatem, D. AMBROSIVS i) & SIDONIVS APOLLINARIS, k) Fiducia, tanquam rei adhuc vigentis, mentionem fecerunt.

C 3

§. XVIII.

- a) De modo usurarum c. 13.  
 b) L. un. Cod. Theod. de commissor. resc. L. ult. C. de pact. pign.  
 c) Ad PAVLI Sent. Lib. II. Tit. 13. rubr.  
 d) Ad d. l. un. Cod. Theod. p. 253.  
 e) Ad PAVLI Sent. l. c.  
 f) Exercit. I. §. XX.  
 g) Quamvis dissentiat FRANC. BALDVINVS in *vita Papiniani*, p. 204. edit. Halens. Sed haesit BALDVINVS in errore vulgari, Fiduciam speciem quandam legis commissoriae fuisse.  
 h) L. 9. C. Theod. de infirm. his, quae sub tyrann.  
 i) Libr. de Tobia c. 12. Hypothecas flagitat, pignus usurpat, Fiducias vocat.  
 k) Lib. IV. epist. 24. Pecuniam mutuam postulavit, impetravitque, nihil quidem loco Fiduciae pignorisque, vel argenti sequestrans, vel obligans praediorum.

## §. XVIII.

*Fiducia  
simul cum  
solemni  
mancipatione a  
IVSTINIANO subla-  
ta in usu  
esse desit.*

Quare nihil certius est, quam pactum Fiduciae, tanquam accessorium mancipationum in variis negotiis civilibus adhibitarum, cum ipsis mancipationum solemnitatibus & differentiis rerum mancipi & nec mancipi a IVSTINIANO sublatis, a) evanuisse. Cumque idem Augustus etiam in emancipationibus liberorum venditiones illas in liberis personas figuratas omnemque veteris illius fiduciariae mancipationis & remancipationis & manumissionis circuitum quiescere iussisset, huius Constitutionis virtute quoque voluit, ut emancipationes liberorum semper viderentur contracta Fiducia fieri: cum apud antiquos non aliter hoc obtinebat, nisi specialiter contracta Fiducia parens manumississet. b) Hinc & CONSTANTINI quidem Constitutio de lege commissoria pignorum abolenda in Codicem IVSTINIANI relata, sed altera ARCADII & HONORII, qua Fiduciae vigorem confirmatum diximus, omissa: imo vero TRIBONIANVS eiusque focii nullo Pandectarum vel codicis loco Fiduciae nomen extarre

- a) *L. un. C. de Vscap. transform. § de sublat. differ. rer. mancip. § nec mancipi.* Neque putamus cum Cl. GVNDRINGIO, *sched. de iur. oppign. territorii §. 74.* ritus mancipationis & in iure cessionis tantum a IVSTINIANO sublatis fuisse, ipsam vero Fiduciae conventionem remansisse. Cur enim, si abrogatis licet solemnitatibus adhuc illa perduravit, ex omnibus Iurisconsultorum locis atque Imperatorum Constitutionibus in Pandectis & Codice nomen Fiduciae tam solcite eiectum? uti recte monuit Vir doctissimus POTGIESER *de indole § natura Pignor. sect. II. c. i. §. 13.* imo vero, quomodo mancipationibus sublatis accessorium earundem pactum remanere potuit?
- b) *L. ult. C. de emancip. liber. §. 8. Inst. de Legit. adgnator. successione.*

re passi sunt, eo vel penitus deleto, vel, ubi de pignore fiduciario sermo esset, *pignoris* aut *hypothecæ* vocabulis substitutis, atque hoc modo textus de Fiducia loquentes pignori accommodarunt.

## §. XIX.

Neque tamen ita tolli potuit Fiducia, atque tam *Vestigia* studiose ex Iurisconsultorum Veterum fragmentis & *Fiduciæ* Imperatorum Rescriptis eliminari, quin vestigia eius in *in Pandectis, ac* variis Pandectarum & Codicis locis, cognoscere ac vel *primum* ut indagine consequi detur, quorum proinde aliquot ex *in L. 5. §.* tantiora scrutabimur atque cum natura Fiduciæ a no- *2. Commodat.* bis descripta conferemus. In Digestis itaque primum nobis occurrit locus *VLPIANI, ex Libro XXVIII. ad Edictum:* a) *Sed ubi utriusque utilitas vertitur, ut in dote, ut in pignore, ut in societate, & dolus, & culpa præstatur: ubi olim scriptum extitisse: Ut in actione rei uxoriæ, ut in Fiduciæ iudicio, satis perhibent verba MODESTINI ex libro Differentiarum secundo in Collationem Legum Mosaicarum & Romanarum relata: b) Sed in ceteris quoque partibus Iuris ista regula custoditur: sic enim & in Fiduciæ iudicio, & in Actione rei uxoriæ, & dolus & culpa deducitur; quia utriusque contrahentis utilitas intervenit: idque notarunt PETR. PITHOEVS c) & WISSENBACHIVS. d) Certe ambo isti loci adeo sibi sunt similes, ut MODESTINVS ex præceptoris sui e) traditis differentias de præstatione doli & culpæ in variis contractibus, petiisse utique videatur. Simul vero VLPIANI verba, in Pandectis inter-*

po-

a) L. 5. §. 2. D. Commodati.

b) Tit. X. §. 2.

c) In not. ad Collat. LL. Mos. &amp; Rom. l. c.

d) In Emblemat. Triboniani, ad h. l.

e) Vid. GUIL. GROTIUS de Viis ICtor. Lib. II. c. 12. §. 6.

polata, ostendunt, per iudicium Fiduciae apud MODESTI-  
NUM illud tantum iudicium, quo de damno in pigno-  
ribus fiduciariis dato ageretur, significari, atque hoc  
intellecto dubium illud resolvitur, quod ex MODESTI-  
NI verbis supra a) fuit excitatum.

## §. XX.

*Vestigia  
Fiduciae  
in L. 9. §.  
2. & L. 35.  
§. 1. D. de  
pignor.  
act.*

Recte etiam laudatus modo WISENBACHIVS obser-  
vat, alio loco VLPiani, ex eodem Libro XXVIII. ad Edi-  
ctum b), post verba: *Proprie pignus dicimus, quod ad  
creditorum transit: hypothecam, cum non transit, nec  
possessio ad creditorem: olim extitisse haec: nec proprie-  
tas, ut in Fiducia.* Locum, uti hodie in Pandectis legi-  
tur, mancum esse, quilibet videt. Deficere autem  
verba illa, quae WISENBACHIVS restituit, compro-  
bat etiam locus ex FLORENTINI Libro VIII. Insti-  
tutionum: c) *Pignus, MANENTE PROPRIETATE  
debitoris, solam possessionem transfert ad creditorem:*  
Vbi Iurisconsultum olim differentias inter Pignus, Fi-  
duciam & Hypothecam proposuisse, ita, ut, in Pigno-  
re transferri possessionem, in Fiducia vero etiam pro-  
prietatem, in Hypotheca neutrum fieri, doceret, facile  
sentiet, qui non sit naris obesa. Idem itaque in ver-  
bis hic adscriptis VLPIANVS docuerat: sed TRI-  
BONIANVS utroque loco Fiduciae, a Domino & Prin-  
cipe suo per solennitates mancipationum abrogatas  
simul ab usu sublatae, mentionem tanquam inutilem &  
superfluam exulare iussit.

## §. XXI.

Accedimus ad L. XI. D. de pignor. & hypoth. quae  
de-

a) *Hac Exercit. §. IX.*

b) *L. 9. §. 2. D. de pignor. act. WISENBACH. Emblem. Tri-  
bon. ad h. l.*

c) *L. 35. §. 1. D. eod. tit.*

desumpta est ex MARCIANI libro singulari ad Formulam hypothecariam, ubi §. 3. dicitur: *Iura prædiorum urbanorum pignori dari non possunt: igitur nec conveniri possunt, ut hypotheca sint.* Et elegans quidem est observatio EM. MERILLII, a) servitutes etiam fideiuciarie pignore mancipari solitas fuisse creditori, contracta Fiducia, ut eam creditor soluta pecunia debitori remanciparet: credimus etiam, a MARCIANO scriptum fuisse: *pignori AUT FIDUCIAE dari non possunt*: sed quod idem Vir acutissimus rationem huius iuris in conditione servitutum urbanarum quarit, quia hæ fuerint res nec mancipi, id non æque probari potest. Itaque hic locus erit disputandi quæstionem, in fine Exercitationis primæ delibatam, & cuius diligentius examen nos in præsentem opellam differre meminimus.

Vestigium Fideiucie in L. u. D. de pignor. & hypoth.

## §. XXII.

Quæstio est de servitutibus urbanorum prædiorum, an & hypotheca obligari & pignori dari nequeant, cum in rusticorum prædiorum servitutibus utrumque fieri possit? & quæ sint eius, quam in d. L. XI. §. ult. & eam proxime sequente L. XII. MARCIANVS & PAVLVVS innuere videntur, differentiæ rationes? Enimvero magna est Interpretum hac de quæstione dissensio. Non solum ACCVRSIVS & BARTOLVS b) existimarunt, servitutes prædiorum urbanorum vel ideo pignorari non posse, quia causa earum perpetua, pignus vero temporarium sit: verum & CVIACIVS c) pignorationi servitutum urbanarum, præter istam Iuris Civilis rationem obstare monet alteram, quia servitutes hæ

Quæstio de servitutibus urbanorum prædiorum, nequeant oppignorari, & ob quam causam?

D non

a) Observation. Lib. VI. cap. 4.

b) In h. l. Confer. DION. GOTHOPREDVS ad eand. not. m).

c) Observation. Lib. XV. c. 6. Et iam ante CVIACIVM eandem sententiam defendit FRANG. CONNANVS Commentar. Iur. Civ. Lib. IV. c. 14.

non sint æque vendibiles, ac rusticæ, & hinc inutile foret earum servitutum pignus, cum alium vicinum emptorem non sit inventurum, inutile vero existat pignus, quod, non solvente debitore, alii vendi non potest. a) EM. MERILLIVS eam substituit, quam iam indicavimus, rationem: quia servitutes rusticæ fuerint res mancipi, non urbanæ: ergo illas tantum fiduciario pignore mancipari potuisse. Primus autem a recepta opinione recessit FRANC. DVARENVS b) atque servitutes prædio sive rustico, sive urbano iam constitutas, indistincte pignerari non posse statuit. Cum enim prædiis cohæreant, c) adeoque dari, i. e. in creditorem transferri, nisi pignerato fundo, cui debentur, non possint: frustra talem conventionem fieri, si creditor a debitore hypothecam avocare nunquam possit. d) Hanc rationem tradere MARCIANVM, quamvis de urbanis tantum expresse loquatur. Aliam esse causam servitutis titulo pignoris quodammodo constituendæ, a domino prædii, eodemque debitore, tantisper dum fuerit exsoluta pecunia, quam debet creditori. Hoc fieri ita posse, non quidem summo strictoque iure, e) sed propter utilitatem, idque PAVLVM cum POMPONIO f) pronunciare. Et hic iterum nullam esse inter urbanas & rusticas servitutes differentiam, quamvis apud PAVLVM rusticarum tantum mentio fiat, loco exempli. Nam eandem esse in urbanis rationem, cum hæ pariter ac rusticæ precario concedi possint, auctore CAIO. g) At vero CVIACIVS

a) L. 4. D. de pign. act. l. n. C. de distr. pign.

b) Disputation. annivers. Lib. II. c. 13.

c) L. 23. §. 3. L. 24. D. de serv. præd. rust.

d) L. 16. §. 5. D. de pignor. & hypoth.

e) Quia servitus ad tempus constitui non potest, L. 4. D. de Servit. L. 28. D. de Servit. urb. præd.

f) L. 12. D. de pignor. & hypoth.

g) L. 3. D. de precar.



CIVIS differentiam inter utrasque servitutes perquam evidenti calumnia eludi his, quæ DVARENVS disputat, acriter contendit. *Non incidissent, inquit, in istas salebras, sirationes iuris tenuissent.* Hæ sunt: primum, in hac quæstione usufructum separari a ceteris servitutibus, ut qui potest vendi, locari & pignerari a domino in corpore, quod eius est proprium, imo & ab usufructuario, cuius est solum ius urendi fruendi alieno prædio: a) quia fructus est vel locare & pignori dare licere. b) Servitutes autem prædiorum rusticorum vel urbanorum a domino vel ab eo, seu debentur, etfi vendi possint, locari tamen non posse: c) quia omnis locatio fit ad tempus, & servitus ad tempus constitui non potest. Quod vero servitus locari non potest, accipiendum esse generaliter, ut nemo, v. c. neque dominus, neque is, cui servitus debetur, servitutum locare possit. At contra tam a domino, quam ab eo, cui servitus debetur, servitutum rustici prædii pignori poni posse: quia quasi fructus cuiuslibet rei est sive corporalis, sive incorporalis, vel pignori dare licere. d) Aliam enim esse rationem pignoris atque locationis: cum hæc lex semper pignori insit, ut distrahi possit in perpetuum, saltem debitore trina denunciatione convento. Servitutum autem urbani prædii neque a domino, neque ab eo, cui servitus debetur, pignerari posse utiliter: & rationem differentiarum esse: ut sit utile pignus servitutis, non tantum necesse esse, creditorem habere prædium vicinum, sed etiam, ut huiusmodi pignus alii vicino distrahi possit. Atqui creditori habenti ædes vicinas, cui pignori concessum est ius tigni aut stillicidii

D 2

dii

- 
- a) L. u. pr. L. 15. pr. D. de pignor.  
 b) L. 1. pr. L. ult. D. de usur.  
 c) L. 44. D. locat. cond.  
 d) L. ult. D. de usur.

dii immittendi, non alium esse vicinum, cui ea servitus usui esse possit: cum econtra ius praedii rustici alii vicino distrahi possit, idque forsitan magno alium vicinum redempturum esse, cum possit uno itinere pluribus patere aditus in suos fundos. Denique argumentum a precario refellit CUIACIUS: quia precariae possessionis utilitas, non, ut ius pignoris, in distractione consistit; ideo summa ratione differentiam servitutum in precario non servari.

## §. XXIII.

DVARENI  
sententia  
a GALVA-  
NO confir-  
mata &  
ab obie-  
ctionibus  
vindica-  
ta.

Ivit tamen LVD. CHARONDAS a) in DVARENI sententiam: eandemque amplexus est FRANC. BALDVINVS, b) & postea praclare confirmavit M. AVR. GALVANVS, c) in eo solum dissentiens, quod utrumque, MARCIANI & PAULI, locum ad servitutis constitutionem pignoris contrahendi causa refert, ex intentione Compilatorum, qui hos textus, ut unam quaestionem tractantes, coniunxerint. Dominum itaque super suo praedio posse constituere pignus servitutis, non minus urbanae, quam rusticae, vel inde concludit, quoniam unusquisque potest praedium suum subiicere servituti, d) maxime si nihil desit ex his, quae sunt alioqui necessaria, ut pignus aut servitus valide constituatur, si non ex rigore, saltem ex aequitate. Ergo cum servitutes ex aequitate ad tempus imponantur, auctore PAPINIANO, e) & sint in commercio, & facultate vendendi creditori data a debitore constituente, domini consensu vendantur, f) apparet, eas dicto modo pignori dari posse, & quidem non solum rusti-  
cas,

a) *Verisimilium Lib. I. c. 5. sect. 7.*

b) *De pignoribus, c. 12.*

c) *Dissert. Var. de Vusufructu c. 39. n. 7. seq.*

d) *L. 1. D. commun. praed. L. 21. C. mand.*

e) *L. 4. D. de servit.*

f) *arg. §. 1. Inst. quib. alien. lic.*

cas, quod evidenter admittunt PAVLVS & POMPO-  
 NIVS, sed etiam urbanas. Has enim posse aliis etiam  
 vicinis utiles esse, & per consequens ipsas quoque per-  
 inde ac rusticas esse vendibiles, ostendit Vir doctissi-  
 mus exemplis servitutis altius non tollendi, ne prospe-  
 ctus offendatur, & ipsius servitutis prospectum haben-  
 di, itemque servitutibus hauriendi aquam ex domo al-  
 terius vel ducendi. MARCIANVM, porro monet, lu-  
 risconsultorum more, ad ea respicere, quæ frequentius  
 eveniunt: a) cum utique servitutibus rusticis, velut  
 itineris, actus, viæ, aqueductus, indigere possint plures  
 vicini, non solum iuncti atque immediati, sed etiam  
 disiuncti atque mediati, contra servitutibus urbanis ple-  
 rumque indigere nequeant alii vicini disiuncti, imo &  
 raro eveniat, ut eadem servitus & aliis vicinis iunctis  
 ultra creditorem possit prodesse, exemplis servitutis stil-  
 licidii, tigni immittendi, foraminis. Ergo MARCI-  
 ANI sententiam esse, urbanas servitutes regulariter pi-  
 gnori dari non posse, cum regulariter non sint vendi-  
 biles, ceterum, si quæ urbana sit vendibilis, eam sub re-  
 gula non contineri. Aliter omnino respondendam esse  
 quæstionem, *an is, qui habet veterem servitutem iam  
 constitutam, possit illam creditori suo dare pignori?* Ad  
 hunc casum pertinere locum MARCIANI, saltem ex  
 veteri sensu & intentione Icti, non invito concedit  
 GALVANVS, ut ex eius sententia statuatur, dominum  
 servitutis non posse illam pignori dare creditori suo,  
 nec hypothecæ. Imo vero sufficere rationem ad intel-  
 ligendum, non posse huiusmodi servitutem pignori  
 dari. Cum enim initio hæc servitus concessa fuerit  
 prædio debitoris, non posse hunc servitutem auferre  
 prædio suo & transferre ad prædium creditoris: quia  
 servitus, statim ac separatur a prædio dominante, extin-

D 3

gui-

a) L. 5. § seq. D. de Legib.

guitur & perit, tanquam amisso subiecto, cui ea qualitas inhærebat: quod si ea extincta ipse aliam eius loco velit constituere, & creditori concedere, id multo minus licere, quoniam super alieno prædicio nemo potest imponere servitutem. Atque rationibus ita subductis, constat, plurimum hac in parte interesse inter servitutes rusticas urbanasve constitutas iam & constitutendas, a) quod negabat CVIACIVS, non item differentiam esse inter servitutes rusticas & urbanas, quod Vir Summus defendebat. Denique, ut EM. MERILLIO etiam respondeat GALVANVS, accurate monet, non valere hanc illationem: Servitus urbana erat nec mancipi, ergo non poterat fiduciari. Fiduciam enim non solum per mancipationem, sed etiam per cessionem in iure contractam esse, quæ locum habebat quoque in rebus nec mancipi, & speciarim in rebus incorporalibus, ergo & in servitutibus urbanis. Eleganter & hoc observat, MARCIANVM iungere pignus & hypothecam servitutum urbanarum & ex æquo utrumque remove ab istis servitutibus: at in hypotheca non adhibebatur mancipatio, cum solo nudoque consensu contraheretur, & consequenter etiam in rebus nec mancipi. Addit, omnem antiquam rerum mancipi & non mancipi differentiam exulare iustam esse a Jurisprudencia IVSTINIANI. Ergo nec iuri novissimo, nec veteri convenit ratio differentie servitutum a qualitate rerum mancipi & nec mancipi petita, & quam ipse MERILLIVS b) alias dubitanter protulit.

## §. XXIV.

Iam ad locum MARCIANI ex libro singulari ad for-

*Vestigium Fiduciae Em-*

- a) Atque hanc distinctionem probat & sequitur quoque GER. NOODT, *Comm. ad D. t. de pignorib. p. 429.*  
 b) *Commentar. ad Tit. D. de servit. ad l. 14. pr. ill. iii. in The- sauro Iur. Civ. Tom. III. p. 645.*

formulam hypothecariam in L. XVI. §. ult. D. de pign. <sup>blema</sup>  
 & hypoth. sicut nos WISENBACHII a) eumque <sup>TRIBONIA-</sup> se-  
 cuti VLR. HUBERI b) opinio, latere in eo loco pi- <sup>NI in L. 16.</sup>  
 gnus fiduciarium, ut quod in se contineret legem <sup>§. ult. D.</sup>  
 commissoriam. Verbis autem: *Potest ita fieri pigno-* <sup>de pign.</sup>  
*ris datio hypothecæque, ut si intra certum tempus non* <sup>& hypoth.</sup>  
*fit soluta pecunia, iure emptoris possideat rem, adiectam* <sup>negatur.</sup>  
*pretio tunc aestimandam.* His postremis verbis attem-  
 peratum esse MARCIANI locum iuri novo, c) a  
 CONSTANTINO, sublata lege commissoria pigno-  
 rum, inducto, ita, ut si res non simpliciter addicatur  
 pro pecunia credita, sed eo pretio, quod elapso tempo-  
 re definitum fuerit boni viri arbitratu, tale pactum,  
 quippe in quo nihil sit acerbi, valeat. At enimvero  
 ad liquidum iam perducta res est, fiduciam nihil habu-  
 isse commune cum lege commissoria, nisi hæc pignori  
 fiduciario speciatim adiecta fuisset. Neque hunc MAR-  
 CIANI locum ad legem commissoriam pertinere, lu-  
 culenter ostendit Vir Summus, IAC. GOTHOFRE-  
 DVS: d) quia scilicet res debitoris non simpliciter  
 committitur, nec creditori absolute relinquitur, sed con-  
 ditionalem esse venditionem, quanti ea iusto pretio suo  
 die aestimabitur: cum econtra lex commissoria sit, cum  
 debitoris res seu pignus simpliciter committitur in vi-  
 cem debiti, eique pleno & absoluto iure acquiritur,  
 seu a debitore transfertur ad creditorem. Ergo nec  
 vesti-

a) *Emblemat. Tribonian. ad b. l.*

b) *In Eunomia Romana, ad b. l. p. 732.*

c) FRANC. BALDVINVS *in Vita Papiniani*, hæc verba: IV-  
 STO PRETIO TUNC AESTIMANDAM, adseribit PAPI-  
 NIANO, quo libellos agente SEVERVS & ANTONINVS  
 ita rescripserint, iustissimum pactum, quo lex commissoria  
 corrigeretur, approbantes.

d) *Comm. ad L. un. C. Theod. de commissor. rescind. p. 255.*

vestigium Fiduciae, nec emblema Triboniani in hoc loco vere later, qui propterea ex numero Emblematarum a WISSENBACHIO congestorum expungendus erit: nec nos ei diutius immorabimur.

## §. XXV.

*Vestigium  
Fiduciae in  
L. 23. §. 1.  
D. de pi-  
norib.*

Manifestum vero pignoris fiduciarum vestigium apparet in *L. XXIII. §. 1. D. de pignorib.* quae desumpta est ex *MODESTINI Libro III. Regularum.* Quod enim ibi tradit Iurisconsultus: *Pignoris obligatio etiam inter absentes recte ex contractu obligatur*: a) id omnino ad pignoris, quod ex contractu traditione rei constituitur, differentiam a pignore sub Fiducia contracto pertinet. Hoc enim non nisi inter praesentes fieri poterat, cum & mancipatio & in iure cessio, tanquam actus legitimi, praesentiam personarum contrahentium & solennia verba, tantum inter praesentes pronuntiari solita, b) requirerent. At e contrario nudi pignoris obligationem etiam inter absentes, per nuncium, epistolam, procuratorem contrahi, *MODESTINVS* docet, translationi domini per mancipationem, vel in iure cessionem pignoris fiduciarum, discrete opponens *obligationem ex contractu.* Nec proinde pro verbis, *ex contractu,* reponendum erit *ex conventionione,* cum *V. C. GER. NOODT,* c) illud: *ex contractu*: incogitantiae *MODESTINI* tribuente.

## §. XXVI.

*Vestigium  
Fiduciae  
in L. 12. pr.  
D. de distr.  
pign.*

Eodem modo naturam pignoris a Fiducia diversam notat *TRYPHONINVS* in *L. XII. pr. D. de distract. pign.* quae est ex eius *Libro VIII. Disputationum,* ubi:

- a) De locutione hac: *Obligatio obligatur,* vid. *Cl. DVKERVS de latinis Iurisc. vet. p. 331.*  
 b) *§. 12. Inst. de inutil. stipulat. L. 1. pr. §. 1. D. de verb. oblig. L. 123. pr. D. de Reg. Iur. vid. GER. NOODT Observ. Lib. II. c. 8.*  
 c) *Comment. ad D. 1. de pignor. §. hypoth. p. 434*

ubi: *Rescriptum est, ait, ab Imperatore, libellos agente PAPINIANO, creditorem a debitore pignus emere posse: quia in dominio manet debitoris.* Attigimus iam differentiam hanc inter pignus nudum & quod sub Fiducia mancipatum, in Exercit. I. §. XVIII. Scilicet cum dominium non possit, nisi ex una causa, contingere, & quod nostrum iam est aut proprium, magis aut amplius nostrum fieri, ac proinde rei propria emptio consistere nequeat, a) creditori vero res fiduciaria iam per mancipationem aut cessionem in iure acquisita sit, fieri non potest, ut debitor creditori Fiduciam vendat: pignus econtra, quoniam in dominio creditoris non est, ei utique potest a creditore vendi & in solutum dari. b) Quare fallitur CL. SALMASIVS, c) dum verba PAVLI, *Fiduciam creditori a debitore vendi posse negantis*, explicat de nudo pignore, atque ex datione in solutum, d) cuius mentionem fecimus, effingit dominium a Principe impetratum, prout accurate monuit V.C. ANT. SCHVLTINGIVS, e) atque simul removit scrupulos, a GVIL. MASIO f) iniectos, qui quidem in eadem opinione videntur harere cum IAC. RAEVARDO, g) Fiduciam vi & potestate fiduciarie mancipationis ad creditorem pleno domini iure pertinuisse, pariter negante, ut propterea creditori, si fiduciarium rem distrahere non posset, opus fuerit Principa-

E

cipa-

- 
- a) §. 10. *Inst. de Legat.* §. 14. *Inst. de Action.* L. 14. §. 2. *D. de except. rei iud.* L. 159. *D. de Reg. iur.* L. 4. *C. de contr. empt.*
- b) L. 20. §. ult. *D. de pignor. act.* L. 7. §. 6. *D. de donation. int. vir.* §. ux. L. 13. *C. de pignorib. & hypoth.*
- c) *De modo Usurarum* c. 13.
- d) *In d. l. 13. C. de pignorib.*
- e) *Ad PAVLI Sent. Lib. II. Tit. 13. §. 3.*
- f) *Singular. Opinion. Lib. III. c. 1.*
- g) *De Auctorit. Prudent. c. 5.*

cipali rescripto ad plenum eius dominium impetrandum fidemque remanicipationis extinguendam.

## §. XXVII.

*Fiducia  
vestigium  
in L. 9. §.  
2. D. de  
supell. le-  
gat.*

Nobile & elegans est, quod iam sequitur, vestigium Fiduciae in *L. IX. §. 2. D. de Supell. legat.* quae est ex *Libro VII. Responsorum PAPINIANI.* Verba eius sunt: *Supellectili sua omni legata, acceptum argentum pignori non continebitur, quia supellectilem suam legavit, utique si non in usu creditoris id argentum voluntate debitoris fuit, sed propositum propter contractus fidem & restituendae rei vinculum.* Sensus PAPINIANI est: Si testator omnem suam supellectilem legavit, eo legato non etiam contineri, quae pignori accepta est, ne quidem, si in eius usu fuit voluntate debitoris; quia non ideo, quod in eius usu esset, eius fuit: sed si dominium quoque debitoris voluntate accepit, ut fit in Fiducia, legata omni sua supellectile, etiam pignori acceptam contineri, quem in modum iam CVIACIVS a) ista verba de Fiducia intellexit, & plenius exposuit GERNOODT, b) qui etiam pro verbis: *si non in usu creditoris* c) *id argentum voluntate debitoris fuit*, legit: *Si non iuris creditoris* &c. ita, ut ius nihil aliud sit, quam

- a) *Ad PAPINIANI Responsores. libr. VII. ad h. l. Conf. SCHVLTING. ad PAVLI Sent. Lib. II. Tit. 13. §. 6.*  
 b) *Observation. Lib. II. c. 10. ubi SALMASII sententiam circa intellectum huius loci refellit.*  
 c) *Alias haec verba nodum neunt, quem nemo solverit. Pignus enim, quo creditor utitur suo periculo, voluntate debitoris, intelligi non potest, quamvis eiusmodi pignoris dominium quasi translatum esse in creditorem putet V. C. IAN. A COSTA ad §. 2. Inst. quib. mod. re contr. obhg. cum nulla iuris auctoritate tale quid nitatur, nec usus & periculum rei alicui per se conciliare aliquid dominium possunt: uti monet SCHVLTING. l. c.*



quam dominium, a) & sic planissima sententia existat: *Supellectile sua omni legata, acceptum argentum pignori non contineri: utique si creditor dominium pignoris non accepit, contracta Fiducia: nam si hoc sit, magis creditoris esse; adeoque Fiduciam eo legato contineri, pignus non contineri, quippe quod est debitoris, tanquam repositum, b) sive ut CVIACIVS legit, oppositum, ut NOODTIVS optime, depositum propter contractus fidem & restituenda rei vinculum, seu, quæ ISIDORI c) locutio est, propter rem creditam.*

## §. XXVIII.

Restat ex Pandectis *L. XLV. de Reg. Iur. quæ Vestigia est ex VLPIANI Libro XXX. ad Edictum, in qua Fiduciam vestigia iam animadvertit IAC. GOTHOFRE-<sup>Fiducia in L. 45. D. de Reg. Iur.</sup> DV. d) Neque pignus, ait VLPIANVS, neque depositum, neque precarium, neque emptio, neque locatio rei sue consistere potest. Privatorum conventio iuri publico non derogat. Equidem GOTHOFREDVS tantum postremam legis partem pacto fiduciario aptandam censet, nimirum conveniri non posse, ut creditor Fiduciam pleno iure acquirat, sic, ut hyperocham restituere non cogatur: quemadmodum vice versa, si inter creditorem & debitorem convenerit, ut Fiduciam vendere non liceat, ex tali conventionione actio nasci non*

E 2

pot-

- a) Ut apud PAVLVM *Sent. Lib. I. Tit. 17. §. 7. Eas res, quas quis iuris sui esse putat, petere potest: & Lib. II. Tit. 12. §. 1. Deponere possumus apud alium id, quod iuris nostri est vel alieni: & in L. 2. C. de reb. alien. non alienand.*
- b) In exemplari Florentino est: *propositum. Sed pignus non proponi, aut reponi dicitur, verum deponi, ut apud PAVLVM L. 36. D. de condiç. indeb. & Sent. Lib. II. Tit. 5. §. 1. & in rubrica 4. eiusd. libri, de commodato, & deposite pignore fiduciare, ubi SCHVLTINGIVS.*
- c) *Lib. V. Originum c. 25.*
- d) *Commentar. in Tit. D. de Reg. Iur. ad h. l.*

potest. a) Sed & primam quoque partem, leu principium huius textus ad fiduciarium pignus pertinere, non dubitamus, cum illo *Libro trigesimo ad Edictum VLPIANVS*, ut ex coniunctis locis b) noscitur, de *pignoribus* egerit, atque ex hac regula iuris id omnino consequatur, quod *PAVLVS in Sententiis receptis* docet, & ad quod respicere *TRYPHONINVM* supra vidimus, c) *debitorem creditori Fiduciam vendere non posse*: quia scilicet non magis emptio, quam depositum, aut precarium, aut conductio (quod nomen in textu reponendum est pro *locatione*) rei suae consistere potest. Imo vero postremam legis partem huic sententiae optima ratione sic aptare licet: *privatorum conventionem iuri publico non derogare*, adeoque, etiam si per suppositam personam creditor *pignus suum*, (id est sub Fiducia sibi mancipatum) invito debitore comparaverit, emptionem non videri, & ideo quodcumque lui posse: *ex hoc enim*, ut *PAVLVS* d) inquit, *causa pignoris vel Fiduciae finire non potest*: quae ipsa verba nihil aliud, quam ius publicum fiduciarium pignoris & regulas iuris, quod nemo rei suae possit esse empror, e) nec eiusmodi commentitiae venditionis callidum inventum subsistere debeat, f) manifeste respiciunt.

## §.XXIX.

- a) Vid. supra §. XIII.  
 b) L. 22. & 24. D. de pign. act. L. 3. D. de leg. commissor.  
 c) §. XXIII.  
 d) *Sent. Lib. II. Tit. 13. §. 4.*  
 e) *SENECA de Benefic. Lib. V. c. 10. Numquid non demens videbitur, qui aliquid vendidisse sibi se dicit: quia venditio alienatio est, & rei suae iurisque sui in alium translatio.*  
 f) L. 9. D. de reb. cor. qui sub tutel. L. 10. C. de distr. pign. L. 1. Cod. Theod. de integr. restitution. L. ult. C. si advers. vendition. Vid. *CVIACIVS & SCHVLTINGIVS ad PAVLVS Sent. l. c.*

## §. XXIX.

Iam in Codice Imperialium Constitutionum, a quo *Fiducia* *vestigia* *quedam* *in Codice* *IVSTIN.* prælectione separavit IMP. IVSTINIANVS, a) ita exigua tantum Fiducia quædam vestigia in illo relicta. Equidem tres priores Constitutiones Tituli *de pignoratitia Actione*, quæ singulæ de fructibus ex pignore perceptis in sortem impurandis & superfluis restituendis, & damnis a creditore reparandis tractant, æque nudo pignori, ac fiduciario conveniunt, ut proinde non sit, cur illis immoremur. Rescriptum vero DIOCLETIANI & MAXIMIANI in *L. IX. eius Tituli* utriusque differentiam nudi pignoris a Fiducia declarat ab initio, verbis: *Pignus in bonis debitoris permanere, ideoque ipsi perire, in dubium non venit*: quam diversitatem eiusque rationem iam satis explicatam dedimus. Prorsus denique de servis sub Fiducia mancipatis agere videtur IMP. ALEXANDRI Rescriptum, *L. II. C. Si vendito pignore agatur*, Aemiliano datum in hæc verba: *Servos, quos nullo iure a creditore venisse dicis, pater tuus, vel tu, si hereditas eius ad te pertinet, a possessoribus petere potes. Quodsi usucapri sunt, petat pater tuus pretium eorum a creditore, qui non iure eos vendidit.* Et acute monuit CVIACIVS, b) in huius Rescripti secunda parte haud temere omissa esse verba: *vel tu, quæ sunt in prima parte posita: pater tuus, vel tu a possessoribus petere potes.* Nimirum pertinet Rescriptum ad eum casum, quando pignus fiduciarium non iure, i. e. omisiss, quæ fieri debent, denunciacionibus a creditore venditum. Tunc enim, ut supra c) ex PAVLO vidimus, heredibus debitoris, qui ratam

E 3

ven-

a) *Const. de emendar. Cod. D. Iustiniani, & secunda ei. editio-*  
*ne, §. 3. 4.*

b) *Observation. Lib. VII. c. 26.*

c) §. XII.

venditionem non fecit, actio adversus creditorem non datur. Quare Imperator rescriptit, si propter usucapionem a possessoribus completam rei vindicatio locum habere nequeat, pretium petere posse debitorem a creditore, qui non iure vendidit, non item debitoris heredem, cui rescribitur: sed huic in prima Rescripti parte concedit rei vindicationem, quæ creditorem ab emptore suo conventum evictionis præstandæ necessitati subiicit: quippe ad pignoris evictionem tunc demum non tenetur creditor, quando iure venditionem suscepit. a)

## §. XXX.

*Fiduciae  
mentio in  
Legibus  
Langobardorum.*

Cum in Codice Theodosiano extaret Fiducia Constitutione ARCADII & HONORII firmata: b) mirandum non est, eam apud illos populos silem nomine tenus cognitam & in Legibus eorum commemoratam esse, qui Codici Theodosiano tantum auctoritatis & honoris detulerunt, ut huius usum non modo concesserint provinciis Romanis a se occupatis, sed etiam ex eo haud pauca in consuetudines legesque suas adseverint. Hinc enim est, quod in Legibus Langobardorum habetur de Fiducia in *Lege CLXXIV. ROTHARIS REGIS*: c) *Ipse autem, qui garathinx suscepit ab illo, quicquid reliquerit donator in diebus obitus sui, habeat licentiam in suum dominium recolligere & debitum creditoribus solvere, & ab aliis requirere, ET QUOD IN FIDUCIAE NEXU POSITUM EST, REDDAT, ET REQUIRAT REM IN FIDUCIAE NEXU*

- a) L. 11. §. 16. D. de action. empt. L. 1. & 2. C. creditor. eviction. pignor. non deber.
- b) L. 9. C. Th. de infirm. his que sub Tyrann. Valeat omnis mancipatio Tyrannicis facta temporibus - - pignoris atque Fiduciae obligatio perseveret.
- c) Apud MVRATORIUM, *Res. Italic. Scriptor. Tomi I. Parte II. Alias est Legum Langob. Lib. II. Tit. XV. lex 3.*

NEXV POSITAM. Et in LVITPRANDI REGIS Legum Libro VI. Lege V. a) Si infans, dum infra etatem est, res suas cuiuscunque vendiderit, aut INFIDV CIAVERIT, & postea quum in legitimam etatem pervenerit, chartam ipsam secundum legem irrumpere voluerit, & in rebus ipsius introire, non habet potestatem qui emit, aut INFIDV CIAVIT, qui dederit, requirendi. Quia quando comparavit, aut INFIDV CIAVIT, tunc debuit prospicere; quia puer ipse infra etatem erat, & contra legem faciebat. Propterea constitutum est, ut qui intra etatem fuerit, minime vendere aut INFIDV CIARE possit. Et talem causam eum habere dicimus, qui emit, aut INFIDV CIAVIT, qualem & ille habere videtur, qui de servo, aut aldione emere aut INFIDV CIARE dignoscitur. Prior Lex loquitur de donatione universitatis, sive omnium bonorum, b) & donatario sicut facultatem credita exigendi, & quod sub Fiducia nexu positum reluendi attribuit, ita obligationem debita solvendi, & quod sub Fiducia nexu positum est, reddendi imponit. In altera Lege infiduciare tam active, quam passive, tam de minore suam rem Fiducia obligante, quam de creditore eam accipiente dici videmus.

## §. XXXI.

Sed vero, licet in illis Langobardorum Legibus <sup>Fiducia</sup> pariter ac in Capitularibus Regum Francorum c) & char- <sup>nomen p-</sup> <sup>gnus nu-</sup> <sup>tis</sup> <sup>dum apud</sup>

- a) Apud etudem. Est alias Lib. II. Tit. XXIX. lex 2.  
 b) Talem donationem enim notat verbum *garathinx*, ex Germanico *gar*; *prorsus, omnino, omne*, & Longobardica voce *Thinx*, *donatio*, compositum. Vid. DV FRESNE in *Glossar. v. Garathinx*.  
 c) Capitula data Presbyteris, apud STEPH. BALZIVM in *Append. ad Capitularia, cap. 9. Nullam habeat potestatem quolibet modo alienandum, neque INFIDV CIANDVM, neque venundandum.*

Langobardos & Francos notavit.

tis antiquis a) extare videamus nomen *Fiduciae* & verbum *infiduciare*: minime tamen Fiduciam Romanorum, i. e. pactum mancipationibus pignoris causa factis adiectum, Langobardis, aut Francis, aut aliis gentibus Germanicis receptam fuisse inde colligemus. Neque enim difficiles istas mancipationum solennitates vel Langobardis vel aliis originis Germanicae populis placuisse atque in leges vel usum eorum ivisse usquam apparet: quin potius sicut *mancipationis* b) nomen venditioni publicae, sive *auctioni* apud Langobardos inditum noscimus, ita *Fiduciae* nomen cuicumque pignori applicatum esse, rectius dicitur: id quod etiam promiscuus fere verborum *Pignoris & Fiduciae* usus apud Interpretem Sententiarum PAULI & apud Auctorem incertum *Consultationis Veteris* haud parum confirmat. Ac ne quem suspensum teneat auctoritas GYNDLINGII, c) non dissimulabimus, eum praesidii suae sententiae quaerendi causa excitasse Legem ROTHARIS CLXXXIII. d) sed in qua non, ut Vir Celeberrimus exhibuit, VENDERE ET LOCO PIGNORIS, verum: VENDERE AUT LOCO PIGNORIS *ponere* legitur: adeoque non venditio pignoris causa facta, sed oppignoratio venditioni opposita in hac lege memoratur. e)

§. XXXII.

- a) Charta Sicardi Principis Beneventani in Chronico S. Sophiae: *Res illas -- quas Allo liber homo INFIDUCIAVIT, aut in pignus tenuit a servis nostri Palatii.* In charta anni MLIII. apud PVRICELLVM: *In beneficium dare, sive per pignus INFIDUCIARE.* Vid. DV FRESNE in *Glossar. v. infiduciare.*
- b) In Lege ROTHARIS CCXXX. ubi vid. MVRATORIUS. Conf. DV FRESNE, v. *mancipata.*
- c) *Sched. de iur. oppignor. territor. §. 75.*
- d) Alias *Leg. Longobard. Lib. II. Tit. XV. lex 2.*
- e) Multo minus in *Libris Feudorum* aliquod *Fiduciae Romanae* vestigium quaerendum est, quamvis tale quid I. F. 29. de

## §. XXXII.

Quorsum vero hæc? Nimirum ut intelligatur <sup>Conven-</sup> tandem differentia inter Fiduciam, quam exposuimus, <sup>tionem Fi-</sup> Romanorum, & fiduciarium pactum, quod est Iuris <sup>ducia Ro-</sup> Gentium, usu exigente & humanis necessitatibus tale <sup>manorum</sup> quid suadentibus, apud plerasque Germaniæ, imo Eu- <sup>similes, ab</sup> ropæ gentes ab antiquo usitatum ac in diversis negotiis <sup>illa non</sup> & contractibus receptum. Translationem enim do- <sup>repeten-</sup> <sup>de.</sup> minii temporariam sicut necessitates variæ sæpius extorquent: ita pactum de restituenda atque interea fideliter curanda re hoc modo alienata servandum, periculum vero & infortunium rei in dominium alterius translatae ad accipientem pertinere, dictamen rationis humanæ iubet. Ut propterea frustra sint Viri Docti, qui omnes alienationes sub pacto de restituendo fieri solitas ac inde venientem periculi & casus fortuiti præstationem in Germania a) & Gallia b) a Fiducia Romanorum repetere voluerunt, & verissime SHILTERVS domesticæ Saxonum prudentiæ legislatoriæ adscripserit illud Fiduciæ simile IVRIS SAXONICI c) placitum de dominio ac periculo pignoris & commodati. d) Imo vero Germani olim in pluribus negotiis

F

fidem

de feudo dato lege commissoria, deprehendisse sibi visus sit CVIACIVS ad h. t. fiduciam sub lege commissoria intelligi putans.

- a) STRAVCHIVS de Oppignorat. rer. Imper. c. 5. §. 13. SPI-  
TZIVS de Oppignorat. Iur. Part. II. c. 4. §. 8. GVNDELIN-  
GIVS cit. sêbed. §. 74. Hic tamen dubitanter.
- b) GVIL. BVDAEVVS Annotation. ad Pand. fol. 19.
- c) Iur Sax. Provinc. Lib. II. art. 24. & art. 60.
- d) Optime iudicat Cl. POTGIESER l. c. §. 16. Inde tamen  
firmiter non sequitur, Germanos in pignore suo Fiduciam  
Romanam imitari voluisse. Id tanto conspectius est, quo-  
clarius constat, Germanorum contractum pignoratitium a  
Fiducia Romanorum in multis diversum esse. In pignore  
Ger-

fidem restituendi in temporario dominio excoluerunt, sed quæ omnia fuerunt moris atque instituti mere Germanici: & huc pertinent tutela legitima, eaque fructuaria, a) itemque cura bonorum absentis, b) feuda oblata, c) feuda fiduciaria a pignoratitiis diversa, d) & investitura atque possessio vicaria. e) Vnde frequens in chartis vetustis Germanorum formula: *Ad fidelem manum tenere.* f) Quis autem hæc iura, hodieque

---

*Germanico omnes fructus & proventus creditori cedunt, quod in Fiducia secus erat, ubi in sortem imputabantur, eamque minuebant. Itaque potius tenendum erit, istiusmodi contractum inventum esse proprium Germanorum. Qui aliter sentiunt, eos oportet stupiditatem gentis nostræ præferri, quasi ex propria ratiocinatione eiusmodi contractum formare haud potuissent, sed opus habuerit eundem a Romanis mutuo sumere, & in mores suos transferre.*

- a) Quam luculenter exposuit DN. DE LVDEWIG singulari *Dissertatione de Tutela fructuaria.*
- b) De qua PRAESES in programme Lipsiensi, quo *cura feudi absente Vasallo successoribus in feudo proximis afferta.*
- c) Vid. HERTIVS de *Feudis oblati part. II. §. 32.*
- d) Vid. SCHILTER. *Comment. ad Ius Feud. Alem. c. XCVII. §. 1. seq. GVNDLING. cit. sched. §. 89.*
- e) Qualis investitura vicaria fit provasallo, dem Lehn-Träger, non tantum in feudis, de qua actum in *Dissert. Vitembergensi de Provasallis*, sed etiam in bonis feudo vicinis, & ubi traditio bonorum immobilium iudicialis adhuc obtinet, in alodiis liberis. Investitura provasalli haud raro coniuncta est cum vicaria feudi possessione, ut in feudo tutelari & feudis universitatum. Vid. *dicta Dissert. §. 12. 19. & 24.*
- f) Dabimus insigne formulæ huius exemplum e reliquiis, quas possidemus, Diplomatarii Vetero-Cellenfis, cuius iacturam SCHLEGELIVS & KNAVTHIVS in historia inclyti illius monasterii haud parum doluerunt. Sunt vero literæ Reinhardi & Theodorici de Honsberg, qui se villam suam Abbati & conventui vendidisse testatum facientes, & solutum sibi pretium confessi, sese dominio utili profus abdicant, vi-



que Germanis maximam partem usitata, putet a Fiducia Romanorum arcessenda, nisi qui, rerum Romanarum & patriarum parum rectis notionibus aduerfus, ex eorum sit censu, qui minima similitudine decepti nil nisi mera instituta Romana ubique in Germania vident, &, quod suspicantur, vigilantes somniant.

vicaria tantum vasallagii functione retenta. Nos Reinhardus de Honsberg, nec non Theodericus iunior filius Friderici militis dicti de Honsberg in presenti pagina publice recognoscimus & fatemur, quod venerabili Dno Cunrado Abbati in Cella sancte Marie & ipsius conventui unanimi cum consensu & bona voluntate nostra rite & rationabiliter villam nostram, que ad sanctum Michaelem dicitur, sitam circa villam Erhwigisdorf cum omnibus iuribus & consuetudinibus, utilitatibus ac aliis attinentiis ad presatam villam pertinentibus pro centum sexagenis latorum grossorum vendidimus perpetuo possidendam, & memorate centum sexagena a Dno Abbate & conventu Monasterii predicti nobis totaliter sunt perfolute. In presata igitur villa omnimodis nichil iuris ac proprietatis nobis reservamus, nec reservare volumus, nisi ad ipsius Abbatis & conventus instantivam petitionem iura feudalia, que teutonice dy leyn dicuntur, sine doli vel alicuius mali admixtione fideliter in manibus nostris sive ad fidelem manum tenere volumus, nichilque nobis iuris vel consuetudinis in eadem villa conservando, sed prenominato Abbati & conventui ad possidendum, gubernandum, usufruendum tantum diu, donec a Dno Marchione appropriationem seu incorporationem sepe nominate ville valeant obtinere. Et pro eadem incorporatione consequenda & optinenda presatum Abbatem & conventum coram Dno Marchione nostris amicorumque nostrorum precibus fideliter promittimus adiuvare. Ut igitur &c. Anno Dni MCCCXLVIII. V. die mens. Februarii. Vernacula formula: In treuen Händen tragen, in literis investiturarum saepius occurrit. Vid. Cl. LVNIGII Corp. Iur. Feud. Germ. T. II. p. 1075. & p. 1273. Inter formulas meierdingicas hodieque est: Sich eine treue Hand setzen lassen. Vid. Conf. I. W. GERICKEN Spicilegium ad SCHOTTELI Tr. de Singularib. Germ. iurib. in Append. c. 3. p. 184.

## ADDENDA.

I. Iam ante SALMASIVM, quem IAC. GOTHOFREDVS notavit, (vid. *Exercit. I. §. II. not. d*) FOPPVS AB AEZEMA *Dissert. Iur. Civ. Lib. I. c. 22.* Fiduciam putavit a fide dictam pro pignore: quia creditor accepto pignore confidentior reddatur, & quasi pignus fidem illam, quæ debitori non habita fuit, creditori præstet, *L. 12. §. fin. D. de furi. quare & BOETHIVM*, quod in *Commentar. in Topic. Ciceronis* falsam Fiduciæ descriptionem dederit, & GVIL. BVDAEVIVM, quod sit eam secutus, reprehendit, ac *Fiduciam nihil aliud esse, pronuntiat, quam fidem pignoris.*

II. Mira sunt, parumque cohærentia, quæ FRANC. HOTMANNVS ad *Orat. Cic. pro Q. Rosc. Com. c. 6.* commentus est de Fiducia: *Esse contractum, quo fidem alterius secuti, rem ei aliquam simulandi tantum causa mancipamus. Fiduciam igitur, ut mox subiicit, tum dare dicimur, quum eius fidem, qui nobis iure civili obligari non potest, sequimur.* Rectius vero de Fiducia pignoris sensit, ubi differentiam eius a lege commissoria pignorum exposuit contra CVIACIVM, *Epitom. in Pand. Lib. XX. §. 7. seq.* eoque loco etiam observavit, Fiduciam post CONSTANTINI Constitutionem, qua lex commissoria sublata, permanisse ad ARCADII & HONORII ætatem.

III. Quod ANDR. TIRAQUELLVM & FRID. TAVBMANNVIVM de IACIS CICERONIS *pro Rosc. Com. c. 6. & pro Cæcina c. 3.* observasse diximus *Exercit. I. §. XV.* FRANC. BALDVINVS iam animadvertit, depositum a CICERONE sub nomine Fiduciæ intelligi, *Cateches. Iur. Civ. Cap. 4. §. 34.* Confer. *GVNDLINGIANA Part. II. Obf. §. §. ubi GRÆVIVS, in not. ad Orat. pro Q. Rosc. contra sentiens, merito notatur.*

IV. Verbum *Fiduciare* in loco TERTVLLIANI de *Idololatria c. 23.* *Pecuniam de ethnicis mutuantes, sub pignoribus fiduciatis, iurati cavent:* utique pignus sub Fiducia mancipatum significat, non pignus nudum, ut IAC. PAMELIO videtur, qui tamen recte legit: *mutuantes sub pignoribus fiduciatis.* Vulgarem lectionem secutus est *CHRISTOPH. COLERVS in Parerg. libr. sing. c. 25.*







Helmstädt, Diss., 77 32-33





7

5b.

VD 18







B.I.G.

Farbkarte #13

1733, 3 13  
~~1738.~~  
552

DE  
PACTO FIDUCIAE  
EXERCITATIO II.

QVAM  
PRAESIDE

D. FRANCISCO CAROLO CONRADI  
IN ACADEMIA IVLIA PROF. PVBL. IVR.  
ORDIN.

IN IVLEO MAIORI

A. D. XXXI. AVGVSTI MDCCXXXIII.  
AD DISPVTANDVM PVBLICE PROPONET

FRIDERICVS NICOLAVS WEBER

GARDELEG. PALAEOMARCH.

HELMSTADII,  
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII  
ACAD. TYPOGR.